Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

cionem in christianos excitauerant. m-
ultosque sanctorum diuersis afflictos passi-
onibus martires deo dignos peremerant.
Sancti dei crispinus et crispinianus qui quondam
cum multis aliis ab urbe roma in
gallias pro dei amore et euangelice pre-
dicacionis institutione aduenerant in
urbe suessionica. uerbum uite populis an-
nunciantes morabantur. Ubi cum diu
in studio euangelizandi commanerent.
Ricciouarus predictorum augustorum crude-
lissimus carnifex illuc adueniens. tor-
mentis eos uariis a fide christi euertere
studuit. sed domino suo protegente et adiu-
uante non ualuit. Sicque glorioso mar-
tirio regna celestia uiri sancti feliciter
pecierunt. Sed quia non nulli in eadem
urbe per ipsorum predicacionem ad fidem christi
conuersi fuerant. et propter supradictam
persecucionem ad modum rari essent in
galliarum partibus christi relicti ministri
cura fuit iam dictis sanctis. licet in
requie beata assumptis. ne eorum labor
imperfectus remaneret in terris. alios sibi
in idem opus uicarios procurare. Denique
ostenderunt se per uisum pontifici ro-
mane tunc temporis sedis. asserentes
se ad martirii gloriam ad regna as-
sumptos celestia. et oues pro quibus
christi exemplo sui domini sanguinem fu-
derant. pastoris absencia desolatas
manere in terris. Qua de re inquiunt
tibi eas commendamus. tueque cure commit-
timus. quas deo acquisiuimus animas. tu
enim sedem tenes apostolicam. et ad te iure
pertinet et omnium cura ecclesiarum. Nos
quoque iuste pro necessitate ad hanc se-
dem recurrimus a qua missi sumus. Tu-
um ergo erit iam exhinc prouidere aliquos
non segnes neque tepidos. uerum stren-
nuos atque industrios christi uidelicet
ministros. qui nostra uice pastoris offi-
cio oues quas lucrati sumus deo. regen-
das atque augmentandas suscipiant.
quatinus quos christi christianos nuper acquisi-
uerat. maligni insidiatoris uersucia
a fide recta non subuertat. Post hanc ita-
que uisionem. certus idem pontifex diui-
nitus se per sanctos dei admonitum. conuoca-
to clero. cepit querere quos in gallias
euangelizandi gracia destinare potuisset.
Denique omnium pene qui aderant con-
sonans fuit testimonium prefatum sanctum
sixtum huic operi esse aptissimum. Pro-
pterea quia esset uir totius prudentie ac
mansuetudinis. iuxta preceptum saluato-
ris dicentis. estote prudentes sicut ser-
pentes. et simplices sicut columbe. Qui
etiam ut ipsorum testimonium ratum.
et a deo preordinatum non dubitaret. se-
metipsum licet indignum clamitans.
tamen spontaneum ad omnia que ei causa
obediencie a sede iniungerentur apostolica.
promptissima uoluntate esse fatetur. Ar-
debat enim non mediocri desiderio labores
pro christo subire. quatinus hac occasione
quandoque etiam ad martirii gloriam
posse pertingere. Quid plura. Ordinatur
episcopus et ad solacium ei procuratur beatus sinnicius
tunc quoque ab eodem pontifice presbiter
consecratus. Qui et ipse magnarum uir-
tutum uir uniuersorum testimonio comprobatus
habebatur. Destinantur itaque ad gallias
boni et electi milites christi. uelut agni inter
lupos. comitante pariter cum eis ipso qui
suis pollicitus est dicens: ecce ego uobis-
cum sum omnibus diebus usque ad consumma-
cionem seculi. Huius adiutorio suf-
fulti. per longi itineris diuerticula uerbum
uite quibuslibet audire cupientibus